

vel singillatim patres et alios suo ordine facie ad faciem cum debitis reverentiis ante et post, vel in communi transeundo ante sedilia, una simul egredientes ad planum chori, ubi ceroferarios per ordinem incensabunt.

35) In Vesperis a quo facienda?

Canonici et Beneficiati ac Magistratus in Vesperis, quando assistunt Beneficiati cum Pluvialibus, thurificandi sunt per aliquem ex dictis Beneficiatis assistentibus Pluviali indutis: S. Congregatio Rit. in Turritana 5. Julii 1671 apud Pitton. Constitution. ad Canonicos num. 514.

36) Vicarii apostol.

Thurificatio cum triplici ductu non debetur Vicario apost. S. C. Ep. in Melphien. 28. Aug. 1689., *Monacell.* t. 4. Suppl. ad 2. t. n. 19.

37) Vicarii gener.

Vd.: *Thurificatio Canon.; Vicarius gen.; Incensatio Cleri* (ordo).

Thurificatio duplici non autem triplici ductu debetur Vicario generali sedenti in choro, licet supra Canonicos et sit Praelatus: S. Congr. Rit. in Nepesina 14. Januarii 1617 apud Barbos. in summ. ap. decis. verb.: *Thurif.* 16. et tract. de Canonicis cap. 34. num. 29.

Consuetudo, uti Vicarius generalis thurificetur ante Canonicos, servanda est, sive qui thurificat sit Canonicus sive Acolythus: S. Congr. Rit. in Alexandrina 15. Martii 1609 apud Barbos. l. c. verb.: Consuetudo circa thurificationem num. 1.

Consuetudo loci vel Ecclesiae servanda est, ut Vicarius generalis sit thurificandus et debeat accipere Candelam, cinerem, palmam et adorare

crucem ante vel post Capitulum: S. Congr. Rit. in Neocast. 19. Januarii 1607 apud Barbos. l. c. n. 2.

THUS.

1) Benedictio.

Vd.: *Incensum.*

2) Benedictio praes. Episcopo.

Audomaren. in Flandria.

Pro parte Episcopi Audomaren. in Flandria iterum supplicatum fuit S. Rituum Congregationi declarare: An liceat abbatibus benedicere thus in Ecclesiis propriis sive aliis quamvis exemptis a jurisdictione ordinariorum praesentibus Episcopis. Et S. eadem Congregatio respondit: Non licere. Die 16. Junii 1674.

Anal. J. P. 1865 pag. 1184. num. 1988.

3) Impositio.

a) Ab Episcopo assist.

Vd.: *Episcop. assist. miss. sol.*

Si in presbyterio vel in choro, ubi benedicendum est incensum, adsit Episcopus dioecesanus vel aliquis eo major, tunc spectat ad ipsum incensum imponere et benedicere, ministrante thuribulum primo ex Assistentibus cum debitis osculis et dicente: *Benedicite Pater Reverendissime*; et si erit *Cardinalis*: *Pater Eminentissime*; et thurificatur triplici ductu, *Celebrans vero duplici. Caeremon. Episcoporum.* lib. 1. cap. 23., *Caeremon. Ordin. Minor.* part. 3. cap. 2. n. 5. et p. 4. cap. 7. n. 11., *Bongiovanni* lib. 3. cap. 11. et lib. 9. cap. 2., *Gavant. et Merati* tom. 2. sect. 10. cap. 3. n. 15. et alii passim. Si autem ad *Vesperas* est praesens Generalis aut Provincialis in sua provincia seu Episcopus dioecesanus vel alius eo major,

5) Modus imponendi.

Vd.: *Incensum; Assistens; Diaconus; Osculum* (modus etc.) *Reverendissimus; Navicula; Thurificatio* (Papa assistente etc.)

Assistens vel Diaconus accipit de manu Acolythi naviculam semiapertam et cochlear in ea existens cum osculo cochlearis et manus Episcopi et offert eam Episcopo dicens: *Benedicite Pater Reverendissime*; Episcopus vero accepto cochleari sumit cum eo ter ex navicula thus illud, ter etiam in thuribulum mittit dicens interim: *Ab illo benedicaris, in cuius honorem cremaberis.* Quo facto ac reddito cochleari eidem ministro, qui rursus manum et illud osculatur, ipse Episcopus format manu dextera signum crucis super thus in thuribulo. *Caer. Ep. l. I. c. XXIII. n. 2.*

TIBIA.

Tibia non est reliquia insignis. N 2170 die 3. Junii 1662.

TIBIALE.

(Canonicorum.)

Facultas Dignitatibus et Canonicis Collegiatae Ecclesiae Valentinae Bracharensis Dioecesis gestandi tibialia et zonam violaceam ac fasciolam viridem in pileo in perpetuum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigia prementes ecclesiasticis viris et Altissimo famulantibus in augustioribus templis peculiaria ornamenta deferenda interdum concedimus, ut ipsi vel per externas huiusmodi honorificentias excitati internarum splendore virtutum praelucere in domo Domini magis magisque nitantur.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis dilecti

tunc expedit quod Celebrans incensatur apud altare sicut in Missa triplici ductu in cornu epistolae et inde revertatur ad chorum, ubi fiet incensatio de more secundum dignitatem et ordinem omnium ibi existentium: *Caeremon. Ord. Minor.* part. 3. cap. 3. n. 6. et part. 4. cap. 7. n. 11., *Bongiovanni* lib. 9. cap. 2. et alii.

b) Verba dicenda a Diacono.

Vd.: *Incensum; Thus* (impos. ab Episcopo etc.)

Diaconus ministrans thus *Canonicis* celebranti, ut benedicat, debet dicere: *Benedicite Pater Reverende*, et non *Pater Reverendissime*: S. Congr. Rit. 4. Apr. 1699. Si autem Celebrans sit *Episcopus*, debet dicere: *Pater Reverendissime*, ex *Caerem. Episcop.* lib. 1. cap. 23. Et nonnulla Caeremonialia Regularium relata a Francisco Maggio in lib. de offic. chori opuse. 4. disquisit. 23. praescribunt etiam Abbatibus, Generalibus seu Praepositis pariter Generalibus, in tali circumstantia debere dici a Diacono: *Benedicite Pater Reverendissime*. Sic eruditissimus Pater Merati tom. 1. part. 2. tit. 4. num. 19. Si vero celebrans sit *Cardinalis*, dicit: *Benedicite Pater Eminentissime*, ut tradit dict. Merati loc. cit. tit. 14. n. 26., sicut celebrante *Summo Pontifice*: *Pater Beatissime*.

4) In consecratione altarium.

Vd.: *Consecratio altarium plurium*, (modus, decr. n. 4565 ad 5); *Incensum*.

5) Materia.

Materies (thuris), quae adhibetur, vel solum et purum thus esse debet suavis odoris, vel, si aliqua addantur, advertatur, ut quantitas thuris longe superet. *Caer. Ep. l. I. c. XXIII. n. 3.*

fili Capitulum et Canonici insignis, ut asseritur, Collegiatae Ecclesiae s. Stephani oppidi Valentiae Mirici Bracharensis Dioecesis nuper exponi fecerunt, idem Capitulum antiquitatis praesertim laude ita emineat, ut ex certis monumentis melior Capituli Cathedralis Ecclesiae Thudensis pars ab origine fuisse dicatur atque inter vetusta privilegia illud quodque numeretur, ut jurisdictione in toto Valentiano territorio cum jure et titulo visitandi olim exercuerit, multum splendoris ad ipsum accederet, si ejusdem Capituli Dignitates et Canonici novis decorationibus per Nos et hanc sanctam Sedem donentur; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

§. 3. Nos igitur exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes Dignitatibus et Canonici nunc et pro tempore in perpetuum existentibus dictae Collegiatae s. Stephani, ut ipsi zonam violaceam cum floccis seu lemniscis coloris similis et tibialia itidem violacea ac demum fasciolam cum lemniscis coloris viridis pilei fornici obvolutam privatim ac publice in dicta Dioecesi Bracharensi gestare illisque uti libere et licite possint et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Datum Romae de speciali mandato Nostro apud s. Mariam Majorem die 13. Novembris 1804.

(Bull. r. Contin. t. XII. pag. 251. Ed. Romae.)

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius de Sequeira, qui

(ut asserit) Archipresbyter et una ex dignitatibus Metropolitanae Ecclesiae Bracharensis existit, quod cum per alias in simili forma brevis die 15. Maii 1789 expeditas literas dilectis filiis Dignitatibus et Canonici praebendatis dictae Metropolitanae auctoritate apostolica indultum fuerit sub certis modo et forma tunc expressis, ut ipsi funiculum cum flocculo viridis coloris in pileo, itemque zonam seu fasciam et tibialia rubri coloris gestare possent et valerent, ac alias, prout ex indicatis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, fusiuss asseritur contineri, ipse Antonius vel alius tunc temporis possessor ejusdem dignitatis in hujusmodi apostolico indulto comprehensus minime remansit, eo quod praebendam obtinet ab aliis capitularibus praebendis penitus separatam residentiamque habet personalem, liberam et spontaneam sine obligatione. Quoniam autem, sicut in eadem expositione additum erat, sedem propriam eodem in choro tenet fixam, a cornu Evangelii tertiam, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut pro majore Dei cultu et meliore cum aliis Dignitatibus et Canonici publice servanda conformitate sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

§. 2. Nos igitur Antonium ejusque nunc et pro tempore existentem legitimum coadjutorem specialibus gratiis prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, insignia et singulas decorationes, in memoratis apostolicis literis pro Dignitatibus et Canonici Metropolitanae Ecclesiae Bracharensis, ut profertur, concessas et expressas ad eundem Antonium ejusque in dignitate hujusmodi coadjutorem respectivosque successores suos, palam gestari libere et licite posse con-

cedimus et indulgemus, ipsosque desuper a quoquam impediri et perturbari nullatenus posse ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 9. Februarii 1816.

(Bull. r. Contin. t. XIII. pag. 457. Ed. Romae.)

Canonici et Dignitatibus Ecclesiae Cathedralis Burgi sancti sepulchri, quod valeant gestare tibialia et uti palmare, vulgo bugia.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Romanorum Pontificum Praecessorum Nostrorum vestigia prementes ecclesiasticis viris, qui coelestis Sionis aemuli divinas laudes in templis magis conspicuis quotidie concinunt, peculiaria ornamenta deferenda concedimus, ut ipsi per externas decorationes excitati internarum virtutum splendore magis lucere conentur in domo Domini.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis exponi nuper fecit venerabilis frater Robertus Episcopus Burgi sancti sepulchri, Ecclesia Cathedralis hujus Civitatis antiquitatis laude et sacerdotum inibi Deo famulantium probitate et doctrina floreat cumque multum splendoris ad ipsam accederet, si ejus Dignitates et Canonici novis decorationibus per Nos et hanc apostolicam Sedem ornentur; Nobis propterea idem Robertus Episcopus humiliter supplicari fecit, ut eisdem Dignitatibus et Canonici in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

§. 3. Nos igitur ipsius Episcopi in-

tuitu praedictas Dignitates et Canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, modernis et pro tempore in perpetuum existentibus Dignitatibus et Canonici Cathedralis Ecclesiae Burgi sancti sepulchri, ut ipsi ubique locorum violacea tibialia gestare necnon in missis privatis tantum celebrandis atque in civitate et in dioecesi Burgi sancti sepulchri dumtaxat palmatoria, vulgo bugia, uti libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus ipsosque Dignitates et Canonicos desuper a quoquam quavis praetextu, causa et occasione molestari aut impediri nullatenus posse; sicque, et non aliter per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii nostri apostolici, auditores et sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere delegatos et dictae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 12. Junii 1818.

(Bull. r. Contin. t. XV. pag. 52. Ed. Romae.)

Canonici et Dignitatibus Ecclesiae Metropolitanae Senensis conceditur usus collaris violacei, fasciolae violaceae sericae pileo obvolutae cum flocco simili et palmaris, vulgo bugiae.

Pius PP. VII.

Nos, attentis desuper dilecti filii nostri Antonii Felicis sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Zonda-

dari nuncupati ex concessione et dispensatione apostolica ejusdem Ecclesiae praesulis relationibus memoratas Dignitates et Canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinatis, modernis et pro tempore in perpetuum existentibus Dignitatibus et Canonicis Metropolitanae Ecclesiae praedictae, ut ipsi ubique locorum violacea tibialia et collare violaceum (non tamen tela cremisini coloris) subsutum itemque fasciolam violaceam sericam pileo obvolutam cum flocco simili gestare, necnon in missis privatis tantum celebrandis atque in civitate et dioecesi Senensi dumtaxat palmaria, vulgo bugia, uti libere et licite possint et valeant et quilibet eorum possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus ipsosque Dignitates et Canonicos desuper a quoquam quovis praetextu, causa et occasione molestari aut impediri nullatenus posse.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 12. Junii 1818.

(Ibid. pag. 52.)

Facultas utendi collare et tibialibus violacei coloris et flocco ejusdem coloris in pileo pro Dignitatibus et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Volaterranae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Apostolica benignitatis dono eo libentius iis, qui ministerio Eccle-

siarum perfunguntur, elargimur, quo Ecclesiae ipsae antiquitatis, celebritatis alteriusve tituli laude pollent, ut per haec in posterum domus Dei decus augeatur ejusque ministri insignioribus vestibus ornati forinsecus, ad interiora incitentur ornamenta virtutum, quibus tum in conspectu Altissimi, qui corda intuetur, purius adstare, tum oculo plebis, cui morum exemplo esse debent, sanctius in dies sattagant apparere.

§. 2. Quum itaque dilecti filii Canonici insignis Cathedralis Ecclesiae Volaterranae peculiaribus honorificis insignibus decorari summopere desiderent, quumque venerabilis frater Episcopus Volaterranus suo apud Nos scripto testetur, Canonicorum Collegium praedictum antiquitate, numero et in sacris muneribus obeundis sedulitate aliisque titulis commendatum, hujus sanctae Sedis beneficia promovere posse,

§. 3. Nos haec perpendentes et gloriosi praedecessoris sancti Martyris Lini, qui ex praedicta Volaterrana Civitate suam duxit originem, memoriam repetentes inducimur, ut eorum precibus obsecundemus, quare praedictos Canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinatis, omnibus et singulis, qui modo sunt, quique in posterum erunt e Collegio Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Volaterranae, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, ut collare et tibialia violacei coloris necnon floccum ejusdem coloris in pileo extra Ecclesiam, non tamen in hac alma urbe nostra gerant iisque libere ac licite uti valeant.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 21. Decembris 1821.

(Ibid. p. 466.)

Facultas gestandi collare et tibialia violacei coloris pro Canonicis Ecclesiae primatialis Pisanae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Sincerae fidei ac piae devotionis argumenta, quae erga Nos et apostolicam Sedem Capitulum et Canonicis Ecclesiae Pisanae semper ostenderunt, Nos inducunt, ut ea, quae eorum personali honorificentiae fore conspicimus opportuna, illis libentissime concedamus. Supplicari siquidem Nobis nuper fecit venerabilis frater Archiepiscopus Pisanus, qui de memorati et Canonicorum virtutibus et meritis testatus est, ut novo aliquo ornamento ipsi decorentur.

§. 2. Nos igitur Capitulum et Canonicos dictae primatialis Ecclesiae Pisanae specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinatis, modernis et pro tempore ac in perpetuum existentibus Dignitatibus et Canonicis dictae primatialis Ecclesiae Pisanae, ut ipsi collare et tibialia violacei coloris tam intra quam extra Ecclesiam gestare libere et licite possint et valeant et quisque eorum possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus eosque desuper a quoquam impediri, molestari vel perturbari nullatenus posse ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 2. Aprilis 1816.

(Bull. r. Contin. t. XIV. pag. 19. Ed. Romae.)

S. THIMOTHEUS E. M.

(Festi ritus.)

Urbis et Orbis.

Inter assiduas gravissimasque apostolici muneris curas sollicitus etiam Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus ut in universali Ecclesia amplior tribuatur Cultus Sanctis illis, qui super fundamentum apostolorum aedificati nascentem Christi Ecclesiam salutaribus monitis ac legibus nec non vitae dispendio ordinare, munire et illustrare non detraxerunt, motu animi sui proprio praecipit, ut in catholico orbe festi sanctorum Timothei Episcopi Martyris nono Kalendas Februarii, ac Ignatii Episcopi Martyris Kalendis Februarii deinceps ab utroque Clero recolantur ritu duplici minori cum Officiis et Missis ut in Breviario Missalique Romano; utque sub eodem ritu duplici minori in universali pariter Ecclesia instituantur festum sancti Titi Episcopi Confessoris Pontificis, additis lectionibus secundi nocturni propriis a sancta Sede alias cum oratione pariter propria admissis iterumque approbatis typisque Romae censis. Quam quidem voluntatem suam per praesens Decretum Sacrorum Rituum Congregationis communicandam mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 18. Maii 1854.

L. † S.

*J. Card. Antonelli.
Dominicus Gigli,
S. R. C. Secr.*

(Anal. J. P. 1854 pag. 1207.)

TINTINNABULUM.

1) Canonicor. Colleg.

Vd.: *Canonicor. Colleg.* (praeced. inter se, decr. n. 4531.)

M. E. 2) Missae. MIHT. 2

Vd.: *Campanula in missa etc.*

Tintinnabulum tangitur (in missa priv. Episcopi) ter, dum elevatur s. Hostia, et toties, dum elevatur ss. Sanguis et non ultra. *Caer. Ep. 1. l. c. XXIX. n. 6.*

Ad dub.: Utrum feria V. et VI. hebdomadae majoris ad elevationem SSmi Sacramenti, ut mens fidelium ad pietatem excitetur loco campanulae uti possit instrumento ligneo vulgo crotulo, de quo praeter Benedictum XIV. libro de festis mentionem faciunt auctores?

S. C. resp.: Servandam consuetudinem et fieri posse.

Die 7. Septembris 1850.

(Correspond. de Rome die 24. Martii 1851 num. 59. pag. 223.)

TITULARIS.

1) Abbatiae.

Nec in Ecclesiis suppositis Parochiae aut Regularibus nec in Ecclesiis suppositis Abbatiae posse fieri officium de Titulari Abbatiae n. 755. die 12. Julii 1628.

Decretum editum contra abusus circa officia Sanctorum loquens de Ecclesiis paroch. et regul., intelligatur etiam idem disponere de Abbatialibus. N. 769 die 28. Augusti 1628.

(Vd.: *Titularis Eccles. paroch.* (oblig. ad off.))

2) Capellarum publicarum.

Vd.: *Credo in festis Titular. etc.; Capella domest.; Patronus Capellae; Suffragia* (decr. n. 5221); *Oratorium; Titul. Oratorii.*

Ad dub.: 1. Utrum Parochus debeat facere Octavam de s. Titulari alicujus capellae, in qua et nunc celebratur Missae Sacrificium?

2. Utrum Professores necnon Seminaristae in majoribus constituti Ordinibus tenentur ad octavam Patroni Eccl. Seminarii, quae omnibus patet fidelibus vel potius retinere Patronum Civitatis, in qua seminarium sit?

3. Eccl. Seminarii Ruremundensis, quae quamvis parochialis non sit, tamen omnibus patet fidelibus, quaeque titularem Patronum habet s. Carolum Borromaeum petitur num festum hujus Sancti 4. Nov. die, per modum festi patronalis sub ritu dupl. I. Cl. cum Oct. a Praeside, Professoribus atque Alumnis Seminarium inhabitantibus celebrari possit ac valeat et inter suffragia ad Vesperas et Laudes de eodem s. Carolo, ut in Breviario, commemoratio fieri debeat.

S. eadem C. rescribendum censuit

Ad 1: „Negative juxta rubricas.“

Ad 2: „Teneri ad Octavam Titularis Eccl. adnexae.“

Ad 3: „Jam provisum in secundo dubio. Fieri autem debere commemorationem in Suffragiis ad tramites rubricae.“

Atque ita rescribere rata est. N. 5079 ad 2. 3. 5. Die 27. Febr. 1847.

Ad dub.: An festum Titularis capellarum publicarum et oratoriorum, quae existunt in Aedibus episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus, domibus Regularium domibusque privatis celebrari debeat sub ritu dup. I. Clas. cum Credo et Octava?

Nam Oratoria publica vocantur etiam Ecclesiae.

S. C. resp.: „Negative.“ N. 4669 ad 34 die 12. Novembris 1831.

Ad dub.: Juxta decretum in una Marsorum diei 12. Nov. 1831 ad dub. 34. Festum Titularis Capellarum publicarum, quae existunt in Aedibus episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus,

celebrari non debet ritu dup. I. cl. cum Octava. Et juxta decretum in unica Vicariatus Ruremundensis in Hollandia diei 27. Febr. 1847 ad dub. 3. Professores et Seminaristae in majoribus constituti Ordinibus tenentur ad Octavam Ecclesiae Seminarii, quae, quamvis non sit parochialis, tamen patet omnibus fidelibus. (Vd. p. 432.) Quaeritur quid intelligendum sit per Ecclesiam et Capellam publicam?

S. eadem C. rescribendum censuit:

„Ecclesia intelligitur, quae eo potissimum fine aedificatur, ut publico fidelis populi usui deserviat. Capella publica vero, quae licet ingressum habeat in publica via, attamen non tam fidelis populi libero usui destinata videtur, quam alicujus familiae vel Collegii commoditati.“

Atque ita rescripsit. N. 5215. ad 3. Die 22. Julii 1855.

Ecclesia Collegiata s. Petri de Crescente Dioecesis Tudens. habet quatuor alias Ecclesias sibi subjectas et totidem Sacerdotes, unum ab alio independentem servitio harum quatuor Ecclesiarum. Sed isti Sacerdotes in suis respective Ecclesiis dumtaxat pro commoditate populi concurrentis Missam celebrant, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta administrant, concionem habent, catechismum explicant et alia ecclesiastica munia explent. Verum nequeunt administrare Sacramentum Baptismi, Communionem paschalem, Viaticum infirmis, Sepulturam defunctis dare, neque habent Tabernaculum SSmi Sacramenti. Unde fideles his quatuor sacerdotibus subjecti tenentur adire Ecclesiam Collegiatam, ut in Pascha satisfaciant praecepto annuae Communionis, ut infantes baptizentur et infirmi s. reficiantur Viatico, ut fiat Officium sepulturae et tumulentur defuncti. Quaeritur ergo

an ii quatuor Sacerdotes sint veri Parochi? Et an istae Ecclesiae possint celebrare officium cum Missa de suo respective s. Titulari tamquam Ecclesiae parochiales et quidem sub ritu I. cl. et cum Octava, vel potius dicendae sint capellae publicae, in quibus juxta decretum S. R. C. diei 12. Nov. 1831: „Festum Titularis non debet celebrari sub ritu I. cl. cum Octava neque cum Credo?“

S. C. resp.: Negative ad utrumque et servetur decretum die 12. Novembris 1831. N. 5050. ad 4. die 23. Maii 1846. Vd. pag. 432.

Aliquae sodalitates Patronum habent s. Thomam, s. Luciam ac s. Josephum Sponsum B. V. M.; quaeritur: An quando praedicta festa occurrunt in dominicis privil. Adv. et Quadrag., attento concursu sodalium aliorumque devotorum, possit cantari Missa de Patrono? Et quatenus affirmative: an dicenda sit in Missa commem. dom. et octavae occurrentis cum ult. Evang. in fine Missae?

S. C. resp.: In publicis Oratoriis cantari potest Missa de Titulari occurrente in dominicis Adv. et Quadrag. privil., non autem in illis exceptis, et in Missa dicenda est commemoratio dominicae et diei octavae tantum occurrentis, cum Evang. ejusd. dominicae in fine. Die 8. Apr. 1808 ad 8. *In Compostell.*

Ad dub. I: In his regionibus nonnullae capellae Monialium has habent conditiones simul conjunctas: agitur tantum de capella praecipua domus religiosae. Non est consecrata, sed tantum benedicta. Congregatio Monialium utpote dioecesana haud habet a sancta Sede apostolica approbationem, Moniales non dicunt Officium canonicum, sed tantum in dicta sua capella recitant Officium parvum Beatae Mariae